Quelle: http://manuscripta.at/?ID=42092
Copyright: Bozen/Bolzano, Museumsverein (Depot im Stadtmuseum)



cum uiuit et regnat in unitate spiritus sancti deus. per omnia secula seculorum. Amen.

Finita benedictione cerei legantur lectiones sine titulis hae. i. c.

In principio creauit deus celum et terram. Terra autem erat ina-
nis et uacua. et tenebre erant super faciem abyssi. et spiritus
dei ferebatur super aquas. Dixitque deus. Fiat lux. Et facta est lux. Et
uidit deus lucem quod esset bona. et diuisit lucem a tenebris. Appellauitque
lucem diem. et tenebras noctem. Factumque est uespere et mane. dies unus.
Dixit quoque deus. Fiat firmamentum in medio aquarum. et diuidat
aquas ab aquis. Et fecit deus firmamentum. diuisitque aquas que
erant sub firmamento. ab hiis que erant super firmamentum. [Et factum est ita. Uocauitque deus firmamentum celum.] Et
factum est uespere et mane. dies secundus. Dixit uero deus. Congregentur
aque que sub celo sunt in locum unum. et appareat arida. Factumque
est ita. Et uocauit deus aridam terram. congregacionesque aquarum.
appellauit maria. Et uidit deus quod esset bonum. et ait. Germinet
terra herbam uirentem et facientem semen. et lignum pomiferum
faciens fructum iuxta genus suum. cuius semen in semetipso sit super
terram. Et protulit terra herbam uirentem et facientem semen iuxta ge-
nus suum. lignumque faciens fructum. et habens unumquodque semen-
tem. secundum speciem suam. Et uidit deus quod esset bonum. Factumque est
uespere et mane. dies tercius. Dixit autem deus. Fiant luminaria in firma-
mento celi. et diuidant diem ac noctem. et sint in signa et
tempora et dies et annos. ut luceant in firmamento celi. et
illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque deus duo luminaria
magna. luminare maius ut preesset diei. et luminare minus
ut preesset nocti. et stellas. Et posuit eas in firmamento celi.
ut lucerent super terram. et preessent diei ac nocti. et diuide-
rent lucem ac tenebras. Et uidit deus quod esset bonum. et factum est